

audientibus. *Stupor et mirabilia facta sunt in terra, ait Jeremias, c. V. Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in novissimo ejus?*

Quinto, vitandæ illorum disputationes præsertim indoctis. Pelicanus cum in alto habitare posset, terram eligit, ovaque terra condit, quod advenientes aucupes loco illi ignem circumponunt, quem pelicanus extinguere conatur, et interim alas adurit, ignemque magis excitat, et pennis adustis capitur, refert Pierius, lib. XX. Ita si tu cum hæreticis versari velis, ignem illi disputationis accendent, quem tu dum extinguere voles, ureris. Sanctus ille Joseph noluit cum domina litigare et pallium vi eripere, ne ejus contactu vitaretur, sed maluit id relinquere et fugere, Gen. XXXIX. Sic et tu noli litigare cum hæreticis. Audi S. August. tract. 1. in Joan. « Quispiam, inquit, tædium patiebatur a muscis, invenit illum Manichæus tædio affectum, et cum diceret, se non posse pati muscas, et odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has? Et quia tædio affectus erat et oderat illas non est ausus dicere: Deus illas fecit, erat enim catholicus. Ille statim subiecit, si Deus non fecit illas, quis eas fecit? Plane ait ille: Ego credo quod diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis; apem quis fecit, quæ paulo major est musca? Non ausus est ille dicere, quia Deus fecit apem, et muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, a locusta ad lacertam, a lacerta ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremo ad hominem, et persuasit homini, quia non a Deo factus est homo. Ita ille miser cum tædium passus est a muscis, musca factus est, quem diabolus possederat. » Hactenus Augustinus.

V. Bonis operibus vacandum. Hæc enim sunt oleum illud virginum prudentum quo conservarunt lampades suas ne extinguerentur, quoque destitutæ fatuæ dicebant: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Quisquis ergo lucernam fidei conservatam in se vult, oleum illud affundat, necesse est.

Imprimis vero expedit crebros actus fidei exercere, ita videlicet, ut quæ agimus bona non tantum ex motivo propriæ virtutis, sed etiam quia fides id præscribit, agamus; deinde ut fidem in baptismo nobis infusam a patribus traditam, crebra professione contestatam sæpe recolamus, et firmissime statuamus ei adherere usque ad extremum spiritum. Ut enim aqua crebra motione purior et sanior fit, immota vero putrescit: ut gladius et vomis exercitio poliuntur et acun-

tur, otio destruantur, et rubiginem contrahunt: ut artes usu perficiuntur, inertia perduntur: ita fides et virtutes aliæ conservantur assidua earundem exercitatione, amittuntur intermissione. Propterea apostolus hortatur Timotheum discipulum suum: *Exerce te ipsum ad pietatem, 1. Tim. IV. q. d. ad Dei cultum et vitam homine christiano dignam, in rebus divinis legendis, audiendis, meditandis, ut earum amorem et affectum in te excites. Virtus enim et ars magis exercitio assiduo quam multa speculatione addiscitur et perficitur. Hinc Apelles in more habuit, ut nullam diem prætermiserit, quin lineam aliquam duceret, et pingeret aliquantulum; inde pictorum omnium præstantissimus evasit, Plin. l. XXXV. c. X.*

CONCIO VI.

FRUCTUS EXERCITII DE OMNI PRÆSENTIA DEI.

I. Collectio mentis in oratione. — II. Puritas mentis. — III. Ardor ad pugnam spiritualem. — IV. Cordis stabilitas. — V. Lætitia et consolatio spiritualis.

THEMA.

Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio.
Joan. XX.

Veram et genuinam causam cur in medio discipulorum staret voluerit Christus redivivus, non dubito esse illam, ut ab omnibus nimirum discipulis videri et agnosci posset. Quemadmodum enim sol in medio cælorum constitutus est, ut omnia illuminet, tam ea quæ supra se, quam ea quæ infra se habet, adeoque ut omnium ad se convertat oculos (unde Græce a conversione appellatur) ita in hodierno evangelio Christus medium occupavit locum, ut discipulorum omnium oculos ad se converteret. Videtur tamen et hoc docere nos voluisse Dominus hominis Deum timentis esse, habere semper in conspectu suo Deum sibi præsentem, quandoquidem revera omnibus rebus et locis præsentissimus est, imo in medio uniuscujusque, juxta id Deut. VI. *Dominus Deus tuus in medio tui.* Omnium ergo nostrum oculos ad se trahere deberet hæc omnipræsentia Dei, quod ut impetrare a vobis possum, auditores, fructus hujus exercitii videamus.

I. Collectio mentis in oratione. Abbas Joannes in collat. patrum. coll. IX. cap. VII. ait: *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.* Nimirum quale frumentum ad molendinum fertur, talis reportatur farina: si hordeum infundas molæ, non recipies farinam nisi hordeaceam. Ita tu sitoto die incumbis lucro, litibus, confabulationibus, locis, symposiis, aliisve sæculi negotiis, quid

aliud tibi occurreret in oratione, quando lapis lapidem terit, id est, cum voluntas et intellectus exerceantur, quam quod prius actitabas sæcularia nugamenta? His onustus rex Manasses ait: II. Paral. cap. XXXVI. *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, et non possum tollere caput et non est respiratio mihi, q. d. multitudo curarum sæcularium ita caput incurvat meum, ut non possim tollere illud per orationem ad Deum. Talibus onerabantur etiam Israelitæ a Pharaone, Exod. V. operibus scilicet luti et laterum conficiendorum, ut sic et sordidi et delassati sacrificare Deo suo nossent. Novit hoc etiam diabolus, ideo sæculi studiosos talibus occupat opprimique paleis et vanitatibus, ne meliorem in molendino orationis inveniant farinam. Ideo prædictus abbas subjungit: « Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Verborum vel sensuum ante oculos imago præludens, aut irasci nos secundum præcedentem qualitatem faciet, aut tristari, aut concupiscentias causasve præteritas retractare, aut risu fatuo, quod etiam pudet dicere, cujusdam seurrilis dicti vel facti titillatione pulsari, aut ad priores faciet volitare discursus. Et ideo quidquid orantibus nobis nolumus ut irreat, ante orationem de abditi nostri pectoris extrudere festinemus. » Hæc ille. S. Basil. in reg. bre. int. CVI. rogatus quemadmodum semper collecta esse mens posset in suis cogitationibus, respondit: *Si Davidem imitemur, qui ait: Providebam Dominum in conspectu meo semper, Psal. XV. Et iterum: Oculi mei semper ad Dominum, Ps. XXIV. Sane David templum intraturus orabat: Dirige in conspectu tuo viam meam, Psal. V. et sine dubio etiam orans Deum semper in conspectu suo habuit, cujus oculi semper ad Dominum etiam ante orationem fuerunt: unde etiam facile intelligimus, collectissimum semper fuisse. Quis enim aspiciens coram se regem, non sedulo ad eum attendat? De S. Romualdo scribit Petrus Damianus, apud Surium, tom. III. Rainerium Tusciæ marchionem, vanitatibus mundi alioquin et potentia tumentem, solitum dicere, sibi non imperatorem posset tantum metum incutere, non ullum mortalium, quantum se Romualdi terreret aspectus: ante ejus quippe vultum neque quid diceret, scire, neque quibus se defenderet excusationes invenire. Habebat revera vir sanctus hanc ex divino munere gratiam, ut quicumque peccatores, præsertim potentes sæculi, in ejus præsentiam venissent, mox ut ante majestatem Dei territi formidarent. Sanctus nimirum Spiritus, qui pectori ejus insidebat, hunc terrorem injustis intentabat. Quid si viri unius sancti aspectus terrere aliquos po-**

tuit, quis non metuat, sibi que et actioni suæ intendat, cum in conspectu Deistat, et cum ipso loquitur?

II. Puritas mentis. Quando princeps est in suo palatio, non admittunt in palatium quemvis janitores, sed excludunt sordidos, abjectos, vagos: et si quos tales intus invenerint, ejiunt. Ubi vero princeps abesse cognoscitur, passim omnes ingrediuntur, rustici, opifices, et alii. Simili ratione ubi Deus exulat ab hominum memoria, ibi janitor nullus; unde vitia conglomeratim in animos irruunt, juxta id Psal. IX. *Non est Deus in conspectu ejus, inquinata sunt visceribus in omni tempore.* Cujus exemplum præbet Cain, qui quia egressus est a facie Domini, ut dicitur Gen. IV. id est, a loco in quo Deus loqui, et apparere solebat, Deum oblitus est, et a mente sua exclusit: et habitavit ad orientalem plagam Eden, id est, deliciarum (sic enim exponitur Eden) ideo, ut scribit Josephus, l. 1. antiq. cap. XI. «Tantum adfuit, ut hac castigatione in melius vitam mutaverit, ut pejor etiam sit factus, suis voluptatibus, vel eum aliorum injuria indulgens, et facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, accitis undecumque latrociniorum et nequitiae sociis, magister illis ad facinorosam vitam sit effectus. Ad hæc simplicem hactenus vivendi rationem, excogitatis mensuris, et ponderibus immutavit pristinaque sinceritatem, et generositatem ignarum talium artium in novam quamdam versutiam depravit. » Hæc Josephus. E contra vero ubi Deus est in palatio, et memoria alicujus, inde eum primis expelli videbis rabulas et ganeones, exturbari vitia: prorsus sicut sole oriente bestie silvestres noctem pervagatæ, et grassatæ aufugiunt abdundanturque in suis foveis et cubilibus, prout Ps. CIII. dicitur: ita Deo animam præsentia sua colustrantæ, vitia dilabuntur quæ prius eam vastabant.

Deinde, videbis nihil admitti flagitiosum. Unde Sapiens, Prov. III. ait: *In omnibus viis tuis cogita Dominum, et ipse diriget gressus tuos,* ne scilicet offendas in peccato. Hinc Thales aiebat, homines existimare oportere, deos animas cernere deorumque omnia esse plena, et tunc fore omnes castiores, Cic. l. II. de legibus. Exemplo est famosa illa Thais, quæ Paphnutio abbati scelus suadens cum se nisi a Deo videri non posse, dixisset: *Agedum, ait abbas, si Deus te videt, qua fronte tu in conspectu ejus te purissimis oculis intuentis, audebis peccare?* Quare illico mens metreticis celesti radio collustrata, tando pudore suffusa, et penitentiae stimulo tacta est, ut abjurata turpitudine infame lucrum in medio Alexandriæ flammis exusserit, seque angustissima cella concluderit, vitamque aspera peniten-

Ca ad mortem usque castigarit. Bene igitur S. Bernardus, de modo vivendi ad sororem scribit: *Ibi pecca, ubi Deus non est.* S. Basilius interrogatus: *Quis frequenter irascitur? Quis ad bona opera piger est? Quis Dei gloriam non promovet?* hoc ~~ca~~ ad singula respondit: *Qui non semper cogitat Deum suarum actionum inspectorem esse.* Refert Corn. a Lap. in c. VI. Gen. S. Ignatius, ep. ad Heronem ait: *Memento Dei, et non peccabis.* E contra sicut luna mox obscuratur cum non respicit solem, ob interpositum scilicet terræ globum; ita homo cum Deum præsentem non cogitat, mox splendorem gratiæ perdit, et in scelera prolabitur.

III. Ardor ad pugnam spiritualem; quis enim nescit omnes eos, qui robore vel arte aliqua excellunt, magis exercere vires, cum vident circa se spectatores eximios, quam dum soli sunt? Atqui ut S. Paulus, 1. ad Cor. IV. ait: *Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus,* qui nimirum omnes certamen nostrum cupidi aspiciunt. Ita in certamine S. Stephani surgit quodammodo Christus, qui sedet ad dextram Patris, et stans ad valvas cæli spectat ejus certamen. Quis igitur non alacriter decertet coram tanto spectatore? S. Antonius præsentissimum ait medium ad vincendas omnes dæmonis tentationes esse, retinere continuam Dei cum spirituali gaudio memoriam. Unde cum ipse semel a dæmonibus verbera, terroresque perferret, lux divinitus apparuit, qua expavefacti dæmones diffugere. Antonius vero eo splendore erectus, quasi Deum præsentem cerneret, dixit: *Ubi eras, bone Jesus, ubi eras?* Responsumque accepit: *Aderam, Antoni, sed eventum pugne tuæ præstolabar, quam quia imperterritus immotusque viriliter sustinisti, manet te victoriæ tuæ indeficiens in cælo triumphus.* Athan. in vita Antonii, apud Sur. Sic etiam Judas Macchabæus et socii, II. Macch. XV. quia præsentem sibi Deum contemplabantur, *manu quidem pugnant, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati,* et ad pugnam animati. Cæterum licet tu spectatores tuos non videas, satis tibi esse debet quod ab ipsis videaris; nam ut recte S. Bonaventura ait: *Athletæ fortes non ideo fortiter pugnant, quia vident circa se spectatores, sed quia ab illis se videri sciunt.* Ex cæcatus erat Samson, cum ad convivium Philistinorum introduceretur, Jud. XVI. et cum adesset ad tria millia spectantium se ludentem (id quod per visum scire non potuit, sed aliunde) strenuissimum omnium designavit facinus, concutiendo ambas columnas, et occidit plures moriens quam vivens. Quot angeli, quot sancti, tot tibi spectatores, quos etsi non vides, videris tamen ab illis, quod Paulus tibi dixit. Imo

magis placet principi, si cum absens esse creditur, egregium aliquod suorum stratagema videt, aut honorem suum defendi ab eis audit, quam si ab eis cerneretur; hinc enim eorum virtutem experitur, nihil simulate agi videt. Ideo volentes suorum facta explorare, per cancellos, et prospectus occultos cernunt, unde videre quidem eos possint, sed videri ab eis non possint. Hoc autem facit Deus, unde Cant. II. dicitur: *Similis est dilectus meus capræ hinnuloque cervorum: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Caprea acutissime videt, cervus celerrime currit, ut ait ibi card. Hugo: itaque ut videat suos athletas Deus, et visum acutissime intendit in eos, et celerrime accurrit; sed nisi per cancellos non aspiciat, quia nimirum etsi ceramine nostro summe delectatur, vult tamen ut ideinterim aspiciamus eum, et spem in præiudicatore etiam non viso colloceamus.

IV. Cordis stabilitas. *Cor hominis non invenit quietem, in reg. in Psal. LXXXV. quibus retineat vagos suos motus.* Non invenit certe in terra, sed invenit in cælo, nam sicut acus magnetica continue circumagitur, donec septentrionem aspiciat, et ibi consistit: ita prorsus animus noster, qui concitator est, quam ut terrenis rebus stabiliri possit, solo cæli, solo Dei aspectu sisti potest, unde: *Quærite Dominum et confirmamini,* ait Psalmus CIV. *quærite faciem ejus semper.* Ubi Augustinus: *Facies Dei, inquit, est Dei præsentia: confirmabitur ergo et stabilietur in bono, non tantum qui faciem et præsentiam Dei invenit in gloria, verum etiam qui hic quærit contemplatione.* Patiuntur autem cordis inquietudinem maxime peccatores, qui velut piscis extra aquam, ignis extra sphaeram, brachium luxatum extra suum locum, agniculus extra gregem, nunquam interquiescunt, sed continuo saltu, motu, dolore, et remorsu agitantur: incidunt tamen in eam etiam modo aliquo Dei servi, dum terreno amoris plus æquo addicti, cum Deo aliquid aliud amant, etsi plus Deum quam creaturam ament. Nam uti Agar non bene convenit cum Sara, Ismael cum Isaac, ita nec amor alicujus creaturæ cum amore Dei. Igitur et hinc discordiæ, sed optimum utrisque remedium, Dei præsentis imaginatio: sic enim Dositheus miles quondam flagitiosus in virum perfectum evasit intra quinquennium, ex instructione S. Dorothei, qui hoc ei præceptum dederat: *Nunquam in corde tuo memoriam Dei deponere, cogita illum semper stare coram te, et te coram illo.* Sic et S. Catharina Senensis cum familiæ laboribus continuis occuparetur a parentibus, a Deo docta cor suum pro cubiculo habuit, Deumque in eo velut præsentem sibi semper contemplata est; hocque

pacto cum Deo untonem firmam acquisivit, u nullo sæcul. labore deinceps distraheretur. Unde et Abrahæ Deus dicit Genes. XVII. *Ambula coram me, et esto perfectus,* q. d. nihil amplius requiritur ad perfectionem, quam ambulare in conspectu meo. Itaque *semper Dei meminere, et cælum mens tua evadet,* inquit S. Ephrem.

V. Lætitia et consolatio spiritualis. Quemadmodum enim in hodierno evangelio discipuli viso Domino gavisi sunt, ita gaudio impletur, qui Deum sibi præsentem esse cogitat: si modo Dei amicus sit. Testatur hoc David Psalm. LXXVI. *Requirit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum,* id est, carnales deliciae me non solabantur, sed sola Dei præsentis memoria. Et iterum Psalm. XV. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear: propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, etc.* Recte itaque S. Dorotheus, serm. XII. ait: *Nihil est quod animam nostram adeo roboret, et reficiat, atque assidua Dei memoria.* Metaphrastes de S. Gregorio episcopo Agrigentino memorat eum, dum esset adolescens, profectus Hierosolymam et in quoddam Palæstinæ monasterium divertens, cum vidisset asperissimam religiosorum penitentiam et virtutes, cepisse contristari ac pudeferi ob errata sua præterita. Causam ergo pudoris præpositus existimans esse distantiam ejus a patria: *«Fili, inquit, confide in Deo, brevi patebit reditus in solum natale.»* Sed respondit juvenis: *«Non ea causa meroris mei est, quod longe absim a conspectu meorum; sola enim præsentis ubique Dei contemplatio, ad illum removendum mihi satis est, dum enim cogito me continuo in ejus versari conspectu, satis solatii accipio: id vero unum me contristat, quod hactenus non instituerim vitam christiano homine dignam.»* Abscessit abbas putans non indigere solatio eum, qui ob tale exercitium possit solari alios. Quapropter exclamare cum regina Saba possessus: *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam,* III. Reg. X. id est, qui semper versantur in Dei, ut præsentis, contemplatione.

Sed qua ratione, dicet aliquis, hanc consequi beatitudinem, quomodo Deum nobis præsentem semper ante oculos constituere possumus? Id docet nos S. Augustinus qui ep. III. ad Fortunatianum ait: *Deus totus oculus est, totus manus est, totus pes est. Totus oculus est, quia omnia videt: totus manus, quia omnia operatur: totus pes est, quia ubique est;* etenim hoc triplici modo Deum facile ubique præsentem imaginari possumus. Primo enim qua pes est, reliquit post se in omni re et loco vestigium aliquod, quod ipsum nobis representet; in hominibus quidem

per modum speciæ et similitudinis, imaginem Dei facti; in aliis vero creaturis visibilibus, per modum effectus: eo fere modo, quo ex cognitione vestigiæ pulvere aut nive devenimus in cognitionem animalis; ex perceptione caloris ac luminis, in cognitionem solis et ignis; ex vastatione regionis alicujus hostilem perentimus exercitum. Reliquit enim in quavis re certam formam, modum agendi, ordinem, dispositionem, virtutem, etc. quæ omnia intelligimus a mente aliqua divina eis impressa fuisse, et ab eadem in suo esse conservari debere. Habes itaque in iis aliquam perfectionem Dei representationem etsi minus accuratam. Adam postquam peccasset, etsi necdum viderat Dominum, audivit tamen eum in vicinio magno sonitu et fragore ambulantem et quasi pressis vestigiis, ut ait Benedict. Pererius, in Gen. I. VI. *arbores tremefacientem.* Unde statim timere incipit, et abscondit se, Gen. III. Atqui tu quocumque vadas, Dei tibi obviantis sonitum audis et vestigia vides.

Secundo, qua oculus omnia inspicit; quod sic intelligere possumus. Pinguntur aliquæ imagines arcum intendentes; quæ semper aspiciunt hominem quocumque ex parte considerentur. Talis profecto Deus, qui ubicumque tu consistas, obtutum in te figit. Potes homini supra caput medium digitum ostendere, quia oculus ejus subter frontem est, supra caput non se extendit, at non potes Deo, Egyptii hanc Dei perspicacitatem delineare volentes, ut refert Cyrillus, lib. IX. contra Jul. et Pierius, hierogl. I. XXXIII. in sceptri vertice oculum vigilantem pingebant, quia nihil impeditus omnia circumquaque intuetur. Unde Eccl. XIII. dicitur: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem.* Rationem dat ibid. Lyra. quia cum solis radii terræ viscera non transeant, nec ad antipodes pertingant, pertingit tamen oculus Domini. Ad hæc ille præsentia tantum et externa illuminat; oculus Dei vero futura etiam et præterita, sive externa sive interna, quia Domino antequam crearentur, omnia sunt agnita, ait Eccles. c. XXIII. Quod si sol in loco terræ vel tota terra sol quidam esset, facile conciperemus, nihil eum fugere posse, quia velut centrum radios suos mitteret in totam peripheriam, atque talis oculus Deus est, quam desinit Merc. Trism. in Pimandro, *sphaeram intelligibilem, cujus centrum est ubique, circumferentia autem nusquam.* Centrum, Dei oculus est quaquaversum se diffundens. Circumferentia nulla, quia visionis ejus nullus est terminus. S. Birgittæ, I. II. rev. cap. 4. loquens Deus, comparat oculum suum oculo avis piscem in profundo maris ex alto conspicientis, utpote quia videat non tantum hominis oor, sed

etiam profunditatem illius, quo nimirum tendat et quid desideret.

Tertio, qua manus est, sic eum imaginari possumus, si consideremus quidquid creaturæ faciunt facere Deum, qui necessario cum omnibus cooperatur eo fere modo quo manus scribentis a docente ducitur: ut enim res omnes in esse et operari a Deo pendent, ita et actiones earum. Existima ergo quidquid beneficii et servitutis tibi a creaturis impenditur, a Deo impendi. Sapit cibis, satiat potus, tegit vestis, fovet ignis, sol illustrat, portat tellus, refrigerat aer? Id totum Deus facit, auctor principalis, manus dirigens; creaturæ substantiæ manus sunt directæ; calamus, virtus per quam agunt. Si quando vir primarius hospitio te excipiat, accedant servi, alius tibi potum, alius vestem, alius donaria jussu domini afferant, cui tu adscribis id beneficii? Nonne domino? Atqui Deus non modo omnia tibi impendit, quæ per creaturas habes et accipis, sed easdem ipse sustentat, cum iisdem operatur: quid ergo superest, nisi ut Deum tibi servire existimes? Hinc Ambros. in lib. de dignit. condit. human. dixit: *Sicut nullum est temporis momentum, in quo non fruatur homo Dei bonitate; ita nullum esse debet, quo illum non habeat et meditetur præsentem.*

CONCIO VII.

PRESTANTIA ET DIGNITAS MUNERIS SACERDOTALIS.

I. Constituti sunt sacerdotes ad offerendum. — II. Constituti sunt iudices. — III. Constituti sunt legati Dei.

THEMA.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Joann. XX.

Quando Christus paralyticum sanavit, et absolvit a peccatis in Capharno, timuerunt turbæ et glorificabant Deum, qui talem potestatem dedit hominibus, Matth. IX. Non erat multum Christo sanare morbos, et peccata condonare posse, quia hæc potestas ipsi propria et debita erat. Illud vero mirandum omnique veneratione prædicandum est, quod hanc ipsam potestatem absolvendi a peccatis contulerit Christus hominibus. Quam multi e nobis paucos ante dies jacebant in Ecclesia velut paralytici, peccatorum vinculis colligati, qui a sacerdotibus absoluti et liberati, nunc exultant in cordibus suis? Quanta Dei bonitas, qui talem potestatem dedit hominibus. Quanta sacerdotum dignitas, qui tantam a Deo accepere potestatem! Id vero pluribus nunc exponendum.

I. Constituti sunt a Deo sacerdotes ad offerendum et conficiendum eucharistiæ sacramentum per potestatem ordinis. Unde soli illis di-

citur: *Infer digitum tuum huc.* Et iterum: *Palpate et videte.* Magdalene vero volenti ejus pedes tenere, dicitur: *Noli me tangere.* Quis hic non exclamet cum S. Thoma: *Dominus meus et Deus meus?* Quid enim est homo, ut manibus suis tractare possit Deum suum? Felicem merito prædicavit Deiparam mulier illa, quod meruerit portare Christum, lactare et tractare. Felicem etiam jure dicimus Simeonem, qui in suas ulnas meruit accipere Christum. Sed hoc idem facere sacerdotibus datum est, quoties volunt. Seraphinus ille, qui carbone candente tetigit os Isaie, nequaquam nudis manibus carbonem attrectavit, sed forcipe tulit de altari, et ita contigit os prophetæ, Isaie VI. Carbo ille typus erat, quia sicut *carbo non simplex lignum est*, inquit S. Damascenus, I. IV. de fide, c. XIV. *sed unitum igni; sic panis communionis, non panis simplex est, sed unitus divinitati.* Viderit ergo sacerdos, quam puris attrectare manibus corpus Christi, debeat, nimirum forcipe bicipiti, fidei et charitatis vel charitatis Dei et proximi. Unde S. Chrys. hom. LXXXIII. in Matth. ait: « Quo non oportet igitur esse puriorem, tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividendam? Os quod igni spirituali repletur? Linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Quam nobis, sacerdotes, horrere pili deberent, cum hoc legimus vel audimus? »

Neque tractare solum, sed et conficere eis datum est. Et primo, panem et vinum in corpus Christi transmutare. Nonne istud majus est, quam quod Moyses fecit, quando aquam mutavit in sanguinem? Rex Persarum cum probasset, quod permanum sacerdotum, aqua crassa converteretur in ignem, donavit eis multa bona et alia atque alia munera, II. Macch. 1. Quid faceret, si crederet per manus sacerdotum converti panem in corpus Christi?

Secundo, evocare Christum in terras et cælis, quando, quoties et quorsum placet. Multum omnino fuit, quod Elias ignem de cælo in terram fecit descendere et devorare holocaustum, III. Reg. ult. multum quod Moyses manna de cælo accepit; multum cum Josue fecit stare solem; multum, quod Ezechias fecit eundem retrogredi decem gradibus; Isa. XXXVIII. sed longè majus est, quod sacerdos facit; siquidem de cælo in terras evocat ipsum Deum, qui est ignis consumens et manna absconditum et sol justitiæ; facit, inquam, illum descendere decem gradibus; id est, per novem angelorum choros et cælos cælorum. Quis his non exclamet cum Hebræis illis: *Manhu*, quid est hoc? Quis non cum Joanne Baptista: *Domine, tu venis ad me?* Ecce obedit Deus voci vestræ, o sacerdotes: nos ergo non per omnia obediemus Deo?

II. Constituti sunt a Deo iudices mundi in causis spiritualibus, per potestatem jurisdictionis, et quidem in hodierno evangelio, quando illis dixit Christus: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc.* Primo, ergo possunt remittere peccata, quæ in Deum et homines committuntur; eaque delere penitus. Unde cum insufflatione data est illis hæc potestas; quia sicut flatu extinguitur ignis, sic peccata penitentium per absolutionem confessarii. Quanta hæc potestas? *Quis enim potest dimittere peccata nisi solus Deus?* inquit Luc. v. Pharisei. Quis peccata in alium commissa, præsertim in Deum, nisi ipse qui offensus est? Et tamen sacerdotes confidenter eas omnes injurias, quæ in Deum et homines fiunt, remittunt et condonant, adeoque peccata populi comedunt, ut dicitur Os. IV. id est, devorant et digerunt, ut oblivioni tradantur. Non est hoc minus, quam miracula patrare. Quare si miraculorum patratōres honoramus, et quasi Dei amicos magnificamus, uti fecerunt Lycaones apostolis, Act. XIV. pari jure suspiciendi sunt sacerdotes. Si Josephum ita honoravit Pharaon, Danielem Nabuchodonosor, ubi experimentum habere collatæ eis divinitus sapientiæ: cur non æque honorandi erunt sacerdotes, quibus divinum illud, eximiumque donum remittendi peccata concessum est. Scribit S. Hieronymus in Ezech. c. XXIII. Ninum Assyriorum regem erexisse statuam patri suo Belo defuncto, ut ejus imagine dolorem amissi patris solaretur, ideoque et confugientibus ad eam, quibuscumque reis immunitatem concessisset. Unde factum est, ut statua illa pro Deo coli inciperet, ex quo idololatriam natam autumat. Sane ejusmodi imago est sacerdos erecta a Christo Domino; quicumque scelerati confugerint ad illam, gehennam evadent. Vide ergo quam colendi sint sacerdotes. Quidquid ipsi solvunt in terra, solum est in cælo, etc. Eadem potestate sua exarant iram Dei, et quodammodo ejus decreta mutant. Quam stupenda res! Stupendum utique fuit, quod effecit Josue, quando solem increpavit et stare fecit, ne moveretur contra Gabaonitas: *Sol, contra Gabaon ne movearis. Stetit itaque sol in medio cæli, et non festinavit occumbere spatium unius diei, donec ulcisceretur se Josue de hostibus Gabaonitarum, quos receperat in foedus, Jos. X. Idem pene sacerdos facit, vel potius majus aliquid. Recipit enim peccatores ad se per penitentiam confugientes, et imperat quodammodo soli justitiæ Deo, ne suis radiis percutiat et persequatur illos. Jubet ergo stare Dei iram, illaque conquiescit. Perfringit omnes Dei carceres; comminatur catenas vincitorum, et inde educit illos, donatque libertate, retractat Dei senten-*

tias condemnantes. Quanta est hæc potestas!

Neque hoc solum, sed præterea cælum aperit peccatoribus, et cælestes thesauros, gratiam et virtutes illis elargitur, filios Dei et reges cæli constituit; siquidem claves regni cælorum ei tradidit Deus. Si quis ab imperatore accepisset potestatem creandi uno verbo alios quidem comites, alios vero duces, alios reges; etiam post patrata ab illis crimina læsæ majestatis. quanta hæc potestas foret? Sed major est absque dubio illa sacerdotis, quia ex peccatoribus facit Dei filios, cæli reges, et distribuit illis cælestes mansiones, quæ omne mundi imperium in immensum superant. Bernardinus Corius, in vita Conradi Suevi scribit, monitum aliquando Conradum imp. filium Lampoldi comitis (qui postea Henricus II. imp. fuit;) fore ipsi in imperio successorem. Hunc ergo cum in aula sua sibi suspectum de successione haberet, misit cum litteris ad imperatricem deferendis. Is in via fessus divertit in sacerdotis cujusdam domum, ibique in scamno obdormivit. Sacerdos interim litteras clam aperuit, et hæc verba in illis legit: *Tabellarium hunc, quam primum ad te venerit, charissima conjux, clam interfici curato.* Scelus tantum exosus sacerdos, erasis litteris manum imperatoris imitatus, substituit hæc verba: *Filiam nostram ei in matrimonium dato.* Doli ignarus Henricus, ad imperatricem litteras defert; illa filiam ei collocat. Conradus ergo spe sua frustratus, cum generum eum se habere intellexisset, quem omnibus modis perditum cupiebat, divinæ providentiæ cessit, et Henricum porro pro genere suscepit, utque in imperio succederet moriens confirmavit. Ad hunc modum quando Deus peccatorem gehennæ adjudicavit, ecce tibi sacerdos eradit illud decretum, ejusque loco scribit, uti ipsi detur regnum cælorum et hæreditas Dei, idque ratum habet Deus. Unde patet, linguam sacerdotis clavem esse, qua hominibus cælum aperitur; manum ejus spongiam, qua peccata delentur; vocem ejus fulmen esse, quo carcer et catenæ vincitorum conterentur. Annon merito glorificamus Deum, qui talem potestatem dedit hominibus?

III. Constituti sunt legati Dei. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, inquit Christus. Porro Christus a Patre missus est in mundum, primo, ut esset doctor, secundo, ut esset mediator: similiter sacerdos a Christo missus, primo, velut doctor: illis enim dixit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Rursum per Malachiam, c. II. dicitur: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Tigurina vertit: *Legatus enim est Domini exercituum.* Et Paulus, II. Cor. V. *Pro Christo legatione fungimur.* Est itaque